J. N. S. S. T.

DE

RETENTIONE ACTORUM

ADVOCATO OB SALARIUM NON SOLUTUM COMPETENTE,



INDULTU MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

D. JO. FRID. TROPPANNEGER, PP. EXTRAORD.

ET

SIGISMUNDUS GOTTLIEB HILLIGER


PUBLICE DISPUTABUNT

H. L. Q. C.

D. III. April. MDCCX.

LIPSIÆ,

LITERIS JOH. CASP. MULLERI.



Conspectus Dissertationis.

§. 1. *Promittit terminorum in Rubrica præmissorum explicationem.*

§. 2. *Retentionem describit.*

§. 3. *Actorum significationem exponit.*

§. 4. *Salarium definitur & quomodo differat a mercede, ostenditur.*

§. 5. *Advocati definitionem sistit.*

§. 6. *Rubricæ Paraphrasin exhibet.*

§. 7. *Priscis moribus nulla concedebantur Salaria Advocatis propter legem Cinciam.*

§. 8. *Postea tamen Lex Cincia limitata est.*

§. 9. *Salarium Advocati petitur actione extraordinaria, si nudo pacto fuerit promissum.*

§. 10. *Condictio ex L. un. C. d. suffragio ad Advocatos applicari non potest.*

§. 11. *Actionem mandati non habet Advocatus.*

§. 12. *Actione præscriptis verbis salarium consequitur Advocatus.*

§. 13. *Per Executores, imo adhibita personali detentione exigitur Honorarium Advocati.*

§. 14. *Acta quoque & Documenta ad consequendum suum salarium retinere potest Advocatus.*

§. 1.



§. I.



Uo eo facilius appareat, qua de re in præſenti verba facturi ſimus, conſultius omnino putamus fore, ſi voces Rubricæ præmiſſas, quantum ſcopo noſtro inſervit, pauciſſimis enucleemus; Merito hinc progredimur ad Retentionem, primum noſtræ diſſertationis vocabulum.

§. II.

Retentio autem nihi aliud & hoc loco dici poterit, quam remedium legitimum, quo creditor res debitoris vel illi debitas apud ſe ſine vitio exiſtentes, propria autoritate tamdiu retinet, usque dum ipſi reſpectu debiti pleniſſime Satisfiat. *Lauterb. in Diſſ. Tub. Vol, 3. de Retent. S. 2. in Fin. Conf. eleg. tr. Ludeking.* de *jure ret. Rinth. 1698. p. 5. Col. de Proc. Execut. p. I. c. 2. n. 184.*

§. III.

Retentionem excipiunt Acta, quæ autoritate judiciali ad indubitatam memoriam apud Magiſtratum deſcribuntur *vid. l. 45. 46. ff* de re judicata. & generaliter eorum nomine veniunt omnia, quæ fiunt in judicio. *Doring Bibl. JCtor* ſub voce Acta. *n. 10. Ruland. de Commiſſ. p. 2. L. 5. c. 6.* in-

 deque

eque hæc publica appellantur ad differentiam privatorum, & ſunt talia vel ratione objecti ſ. materiæ, uti libri, qui publicæ civitatis Acta complectuntur & in quibus ſcribebantur olim res geſtæ Principis aut Populi & leges, vel ratione loci, in quo ſecuritatis & memoriæ cauſa aſſervantur, cujus intuitu & Acta hæc judicialia licet privatum intereſſe partium contineant, tamen publica vocantur; vel ratione perſonarum, tanquam a cauſa efficiente apud quas conficiuntur, uti ſunt Judices, Actuarii & Notarii, quæ ſecunda ſignificatio, cum qua poſterior coincidit, ad nos proprie ſpectat, & ex ſequentibus apparebit, quatenus ejusmodi Actorum publicorum retentio, quo & Documenta retuleris, & alias ſcripturas authenticas, Actis quaſi incorporatas in jure permiſſa ſit, eoque facilius deinde, quid circa Acta privata & extrajudicialia obtineat, dijudicari poterit, quæ Advocati aliquando ad ſui notitiam privatim ſibi ſolent colligere. Conferri alias poteſt de uſu hujus nominis *Hahn ad VVeſenb. Tit. ff. de Adopt. n. 5. Verb. Act: Publica. Cic. l. 1. & 2. Philipp. Plin. L. 5. Epiſt. 14.*

§. IV.

Per ſalarium quod quoque honorarium *l. 5. C. d.* poſtul. non tamen proprie merces vocatur, intelligimus hic compenſationem aliquam ac remunerationem honoris ac beneficii cauſa Patrono cauſarum debitam pro conſilio & labore ob litem Clientis adhibito *vid. l. 1 ff. ſi menſor fals. mod. dix. l. 7. & 56. §. 3. ff. mandati l. 17. C. eod. l. 4. §. fin. ff d. Decret. ab ord. faciend. Bardil. d. ſalar. c. 2. §. 23. Conf. Gothofr. d. Sal. c. 1 Th. 3.* Differunt autem a ſe invicem in eo, quod ſcilicet honorarium & ſalarium honeſtioribus & nobiliorem operam navantibus, puta ob liberalem artem vel etiam ob officium publicum, remunerationis cauſa rependatur, merces vero, pro exæquatione & compenſatione operæ conſtituatur, induatve Locationis

naturam

naturam ac Mechanicis & quæstuariam vel sellulariam artem exercentibus solvatur *cit. cap. §. 5. & 6.* Hinc Advocati industria, operis non locari solitis accensetur, & dum animo potius quam corpore consistit, ob dignitatem suam mercedem respuit. *Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 29. Th. 2. Struv. Exercit. 24. th. 4. l. 9. C. d. Profess. & Med.*

§. V.

Advocatus tandem, qui interdum Patronus & quasi pater auditur *Dn. Stryck de Conscient. Advocat. c. 2. n. 1.* ille nobis vocatur, quem *l. 1. §. 11. ff. d. extr. cogn.* eleganter sistit, quod omnem scilicet eo nomine accipere debeamus omnino, qui causis agendis quoquo studio operetur, vel qui juxta *l. 1. §. 2. ff. de postul.* desiderium amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponit, vel alterius desiderio contradicit. *Conf. Dn. Stryck. in Diss. de Consc. Adv. Vol. 2. Disp. 13.* Cœterum describi queunt, quod sint, Viri conscientiosi, qui partibus litigantibus ope & consilio adsunt, jus suppeditant, ac causam rite & legitime deducendo ac proponendo patrocinium præstant *l. 6. §. 1. C. de Postul. l. 11. §. 1. C. d. Adv. 1. Lauterb. diss. Tub. V. 1. d. 21. d. palm. Adv.*

§. VI.

Expositis proinde potissimis nostræ dissertationis terminis, quilibet eo promptius dijudicare poterit, nos eam examinare velle quæstionem, An nempe Advocatus pro non soluto sibi salario, quod ipsi a Cliente suo ob studia in litem ejus collata debetur (licet non promissum) tam Acta judicialia, quam extrajudicialia tamdiu juste apud se retinere possit, donec vel solutio subsequatur, vel aliunde satisfactio præstetur.

§. 7.

§. VII.

Priscis quidem temporibus inutilem fuisse hanc quæstionem, nemo non, qui paululum solummodo scrutatus est Romanorum antiquitates, ultro profitebitur. *v. Cic. l. 2. Officior.* Cum etenim Romæ Advocationis officium, quod alias laudabile vitæque hominum necessarium in *l. 4. pr. C. d. Adv. 2.* enunciatur, sæpiuscule venale extitisset teste *Heraldo ad Tertull. Apol. c. 2.* introductum exinde Lege Cincia & Sctis, ut etiam gratis aliquamdiu causas orare juberentur Advocati. Qua de re insigne extat apud Tacitum *l. II. c. 5.* Annal. Testimonium. *Consurgunt Patres (ait) legemque Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet* & in *l. 14. annal. Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur Sctum, pœnaque legis Cinciæ adversus eos, qui pretio causas oravissent Conf. Cic. l. 1.* ad Attic. & de senectute passim. Hartung diss. de act. adv. & Client. adv. se invicem, compet: Augustum postea retulisse hanc legem & firmasse novo Scto addita pœna quadrupli ait Dion Lib. 54. *Καὶ τοὺς ῥήτορας ἀμισθεὶ συναγορεύειν ἢ τετραπλάσιον ὅσον ἂν λάβωσιν ἐκτίνειν ἐκέλευσε. Conf. Quint. Lib. 12. c. 7. Inst. ubi* pretia Advocatis concessa, pro more aliquo piratico habentur. *Gothofr. l. c. c. 7. Th. 1. in Not.*

§. VIII.

Paulo tamen post a rigore hujus observantiæ recessum, &, ne cuiquam officium suum sit damnosum. l. 7. Testam. quemadmodum aper. restrictive pronunciatum. Uti apparet *ex l. 13. §. 9. C. de Judic. & l. 6. §. 3. C. de postul.* Justinianus enim eo ipso, quod Clientibus, qui dare possunt, honorarii præstationem imponit, divites a pauperibus sejungit. Alias ab Imperatoribus modus aliquis in petendo honorario impositus est; Sic Imperator Claudius capiendis pecuniis usque ad dena sestertia statuit modum,

quæ

quæ egreſſi repetundarum tenebantur, ut eſt apud Tacitum in *Lib. 2. Annal.* Sic Nero ſcribente Svetonio in ejus vita c. 17. definivit, ut litigatores pro patrociniis certam juſtamque mercedem darent. *Conf. Brummerus ad L. Cinciam c. XI.* Porro ne inhiarent bonis alienis & ut frœna improbitati forenſi imponerentur, peractis demum negotiis conſtitutum erat, ut peterent honorarium, ita tamen ut decem millia, ſeu quod idem erat, centum aureos non excederet: non excluſum tamen judicis arbitrium ſimul erat, qui pro modo Litis, Advocati facundia majorem quantitatem determinare poterat. l.1.§.12. *ff. d. Extr. Cogn. Gail. l. 1. Obſ. 44. Carpz. p. 1. C. 31. def. 11. cui* adhuc hodie conſentit *Ordin. Proceſſ. Sax. Tit. 36.* §. Zum dritten der *Advocaten* Belohnung *&* cauſſas criminales & arduas excipit *Trantac. L. 2. Tit. d. poſtul. reſol. 1. n. 12. Gv. de Pap. Dec. 190.* vid. *Plin. Lib 5. Epiſt. ult. Godofr. l. c. & Brummer. ad L. Cinciam.*

§. IX.

Cum igitur Imperatores ſalaria Advocatis, ut audivimus paulatim indulſerint, non immerito quærimus, quibus mediis hi ad ea adipiſcenda pervenire queant. Scilicet ſi promiſſio nudo pacto facta, petuntur actione extraordinaria ſeu imploratione officii judicis. *l. 7. l. 56. §. pen. ff mand. l. 1. C. eod. Mev. p. 3. dec. 332. Hilliger ad Donell. l. 18. c. 3. lit. h. h. h.* cujus petitionis formula apud Dn. Schvvendendörfferum in diſſ. de honorario Th. XV. exprimitur. Ubi quidem notandum quod hæc actio ſingulariter ſit introducta contra communem regulam, qua alias cavetur ex pacto nudo actionem non naſci *l. 7. §. 4. ff de pact. l. 27. C. d. Locat. Cond.* rationem addit Dn. Schvvendendörffer, quod lex favore eorum, qui ſæpius aliorum gra-

tia multos subeunt sudores, specialiter hoc constituat, ut esset laboris exantlati præmium, aliique ad hoc atque talia sponte ac ultro expedienda tanto facilius invitarentur.

§. X.

Existimant alias nonnulli, inter quos *Bartolus*, *Salycetus*, *Mejer Coll. Jur. Argent. Tit. d. Cond. ex lege. §. 3.* Si nudo pacto salarium promissum sit, peti illud posse condictione *ex L. un. C. d. suffragio. Verum* contrarium rectius defendunt *Hilliger in Don. l. 18. c. 3. Lit. H. h. h. & post eum Brunnemannus ad d. l. un. vid. Tiraquellus de Nobilit. c. 29. n. 27. Pinellus ad l. 1. C. de bonis matern.* Etenim ibi per suffragia intelligendæ veniunt commendationes aulicorum, qui desideria supplicantium, & quid ambientium sua suffragatione adjuvare solebant, his si quid promissum sit &. supplicans id impetraverit, promissum peti posse condictione ex Lege negari nequit. Tutius vero asseritur dari actionem Advocato contra Clientem competentem, quæ vocatur condictio ex moribus seu consvetudine secundum *Carpz. P. 2. C. 19. d. 17. & c. 5. d. 22. Rittersh. d. diff. Jur. Civ. & Canon. L. 2. C. 1.*

§. XI.

Et quamvis etiam Actionem mandati contrariam Advocato applicare velint, obstat tamen 1.) huic sententiæ *a. l. 10. §. 1. d. Negot. gest.* & 2.) accurate rem considerando, Advocato ut tali ad salarium consequendum hæc actio mandati minime competere potest, nisi sit simul procurator. *Conf. Hunn. ad Treutl. V. 1. d. 9. qu. 4.* cui accedit, quod hæc actio ad consequendam indemnitatem detur *l. 15. & 20. §. 1. C. Mandat.* dum sum-

ſumtus bona fidé facti e. g. quod a proficiscente extra locum habitationis ultra ſalarium, in alimentationem & vecturam eſt impenſum, per dictam actionem repetuntur. *Surd. d. aliment. l. 1. qu. 68. & l. 4. q. 8.* adeoque quod ad indemnitatem ſpectat ad ſolutionem honorarii tanquam ratione deficiente torqueri non poteſt.

§. XII.

Præter antea nominatas, actionem quoque præſcriptis verbis competere conſtat, quia ſubeſt negotium innominatum, puta facio ut des. Quoties enim de factis quæritur, quæ propter ſuam excellentiam non recipiunt mercedem, & tamen æquum ſit pro opera aliquid præſtari, tunc ſi non poteſt negotium ad certum aliquod reduci nomen, præſcriptis verbis agendum eſt *l. 2. 4. ff. de Præſcr. Verb. Dn. Schvvendendörffer Th. XV. Diſſ. de Honor.* Simulque monet l. c. neceſſe hic eſſe, operas jam eſſe præſtitas, quoniam fiat initium a præſtatione facti, *arg. l. 1. §. 2. ff. de rerum permut.* alioquin enim ad promiſſi adimpletionem hac actione promiſſor conveniri nequiret. *Schvvend. l. c.*

§. XIII.

Imo etiam tantum eſſe hujus ſalarii favorem Doctores aſſerunt, ut ſtatim exigi poſſe exiſtiment per Executores, ſi Clientes qui ſolvendo ſunt, non ſolvant. *Döring. Bibl. JCtor.* & eo usque progreditur *Gothof. in Eleg. Tract. de Salario c. 13. §. 18.* perſonali ſcil. detentione ſ. captura Clientem ad ſolvendum cogi poſſe, atque ad ſtabiliendam ſuam ſententiam, adducit ea de re ſtatutum Marchiæ ſub rubr. *de Offic. Adv. c. 5. Lib. 2.* additque

ſi taxa

si taxa hujusmodi facta fuisset salarii, vim haberet rei judicatæ & perinde esset, ac si debitor fuisset per sententiam condemnatus, & expresse solvere cogatur, neque fidejussor admittatur. *v.l.c.* Processum hinc plane summarium quoque esse & semiplenas sufficere probationes imo præsumtiones contendit *Stypmannus de salario Clericorum c. 13. n 7. 9. 10.* addatur *Rebuff. in Comment. ad Constit. Gall. Tom. 1. Tract. d. sentent. provis. art. 3. gloss. 7. Decius Consil. 20. in fin.*

§. XIV.

Cœteros modos, qui passim ab interpretibus juris exponuntur, merito omittimus, ne fortassis accessoriis quæstionibus præsentem dissertationem cumulare velle videamur. Illud solummodo ostensuri sumus, quod jure quoque Acta & Documenta retinere queat Advocatus ob salarium denegatum, quod ipsi vel ex lege, vel ea deficiente, ex consuetudine alias debetur. *VVesenb. ad Tit. d. Procur. Carpz. p. 2. C. 15. d. 13.* idque ex rationibus sequentibus luculentius apparebit.

§. XV.

Prima autem dari poterit ratio quoniam labor operandi justam causam habet *l. 26. §. 4. ff. d. Cond. indebiti VVurms. Tit. 28. ob. 2. Garsias d. expensis & meliorat.* & opera in re, æquiparatur impensis in rem factis. *Coler. d. process. executivo. c. 2. p. 1. n. 148.* Hinc cum notissimi juris sit, quod Advocatus ut & Procurator propter impensas acta retinere queat. *per l. 25. in fin. ff. de Procurat. l. 14. §. 1. ff. Com. div.* nullus in dubium vocabit idem jus statuendum esse propter operam s. studium in causa Clientis præstitum *a. l. 32. ff. ad L. Aquiliam.* maxime cum &

Notarii

Notarii tamdiu Instrumentum a se confectum & Commissarii Rotulum retinere queant sec. *Ruland. d. Commiss. P. I. L. 7. c. 7.* Et has rationes quoque respexisse videtur amplissima Facultas Juridica Lips. an J. M. J. U. D. und Canon. des Stiffts N. an. 1632. d. 3. Jul. quale responsum elegans exhibet *Finckelthaus. ob. 98. n. 45. sequentibus. P. P.* Obwohl sonst niemand in seiner eigenen Sache ihme rechtsprechen / und keiner eines andern Güter / wieder seinen des Herrn Willen haben und behalten kan. Dennoch aber und dieweil die jura retentionis nachgelassen / und nach bewährter Rechts-Lehrer Schluß / ein Advocat die Acta, urkunden und andere zur Rechtfertigung gehörige Sachen / seines Clienten / so er bey sich gehabt / so lange innen behalten könne / biß ihm sein gebührendes Honorarium entrichtet werden / in dem seine angewandte Mühe und Arbeit eine billige rechtmäßige Ursache der retention ist / und sein Fleiß in der Rechtfertigung gleich geachtet werde / dem Verlag und Unkosten / so etwan daselbst auffgewendet seyn mögen / so seyd ihr / als gewesener Advocat eures Clienten Acta in angeregter Criminal-Sache bey euch innen zu behalten wohl befugt. V. R. W.

§. XVI.

Quin imo si sartoribus ac sutoribus pro mercede jus retentionis competit, ita ut possint vestes & calceos retinere, etiamsi materia sit aliena, donec ipsis satisfiat prout statuit *Baldus in L. ult. C. de Commod. n. 1. & Coler. d. processu executiv. p. 1. c. 2. n. 245.* nec non ad fabrum pro equo curato, cauponem & stabularium pro pretio hospitationis jus hoc spectat, multo magis Advocatus, cujus salarii præstatio alias favorabilis. *Hering. de Fidej. c. 5. n. 373.* Acta, donec ipsi satisfiat, retinere poterit per

 text.

text. in *L. Colonus 12. ff. de vi & vi armata.* Accedit & hoc, quod jus illud retentionis exercere possint salarium prætendentes non aliter, ac creditor ob necessarias in pignus impensas ejus retentionem habet *l. 8. in pr. & §. f. d. pign. act.* & bonæ fidei possessor ob impensas retentione uti potest. *l. 27. §. fin. l. 28. d. R. V. l. 11. C. eod. Petr. Müll. in. diss. de favore Sal. c. 3. Th. 1.*

§. XVII.

Pro thesi nostra stabilienda huc porro pertinet, quod retentioni leges magis faveant quam persecutioni, cui enim jura dant actiones, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit. *l. 156. §. 1. ff. d. R. I. Guntzel. ad h. t.* quod & jus Canonicum haud obscure, dum quemcunque ad agendum admittimus, illum multo magis ad excipiendum admittere debeamus, innuit *c. 71. d. R. I. in 6to.* Cumque facilior sit possidenti retentio *l. 1. pr. ff. d. pignoribus*, eaque proveniat ex æquitate *l. 51. ff. de Cond. indebiti* præsertim si res alterius apud nos sine vitio constituta servetur, & in illa re aliquid operæ aut pecuniæ impensum *Mev. ad Ius Lub. L. 3. Tit. 3. art. 15. Pruckm. Consil. 12. n. 313. Petr. Muller. diss. d. fav. Sal. c. 3. Th. 1.* quilibet intelliget quanta decisioni affirmativæ fides insit. His rationibus sine dubio moti Domini Scabini, a quibus, cum quæreretur, an hæredes Actuarii Acta judicialia donec de sportulis satisfactum, retinere possint, his verbis responderunt: Dieweil aber dennoch das Jus retentionis unter andern denenjenigen zustehet/ welche an etwas Arbeit oder Unkosten verwendet haben / daß sie solches so lange biß sie deßhalben befriediget an sich behalten mögen. Conf. Excellentissimus Dn. *Rivinus Tit. 2. En. 14.* ex quibus elucet, hæredes quoque hoc jus retentionis valide exercere posse, & eo

minus

minus ipſi Creditori denegandum, quo major ratio pro eo militat. Et quanquam hæc retentio Actorum judicialium Actuario propterea competere videatur, quia ipſe perſona judicialis, attamen adhuc hodie in quibusdam judiciis conſuetudo in viridi eſt obſervantia, ut Acta ob expenſas non ſolutas ab adverſario per ſchedulam arreſtatoriam & ablationem formalium retineri queant, hoc vero, ſi Advocato ſunt adjudicatæ non parti, mutato eo, nullum effectum habere poteſt.

§. XVIII.

Ulteriorem noſtræ Theſeos aſſertionem petimus ex l. 59. in fin. ff. de furtis, ubi expreſſum, quod noſtra potius interſit rem retinere quam per actionem nobis conſulere. *Finckelth. obſ. 98. n. 34.* Facilius enim aliquid conſervatur, & retinetur quam de novo acquiritur; & in retentione agitur de damno vitando, in acquiſitione vero de lucro captando, ideoque illi magis favetur quam huic; unde & miniſterio alieno nobis jura conſervantur. *L. 15. ff. d. conſt. pec. l. 33. d. mortis cauſa donat. l. 24. ff. de Uſuris.*

§. XIX.

Aliæ autem rationes propoſito noſtro inſervientes colligi poterunt ex iis, qui in noſtram abierunt ſententiam, inter quos merito referendi *Lauterb. in Coll. Theor. pract. Tit. d. Poſtul. §. 30. Carpzov. p. 2. c. 25. d. 23. Coler. d. Proc. Execut. p. 1. c. 2. n. 247. & ſeqq. VValth. de privil. Doct. c. 10. Nicolai Proceſs. c. 6. n. 15. Brunnemannus ad l. 25. ff. d. Procurat. Laut. Comp. Juriſp. 60. ibique Dn. Strykius, Excellentiſſimus ICtus Dn. D.*

Mencke

Mencke Disp. Proc. 4. Tit. 1. §. 10. n. 2. Approbat prætereà hanc retentionem sub prætextu residui salarii Camera, modo prius, Collegium Camerale suum interposuerit arbitrium *Blum. Proc. Cameral. Tit. X. n. 74.* Et quamvis Parlamentum Parisiense hac retentione uti non soleat (cujus ea de re gravitas a Gothofredo laudatur) illam tamen inferioribus judicibus & consessibus indulget, de quo apud *Gothofr. de sal. c. 13. §. 17. in fin.* citatus reperitur *Loiseau Lib. 1. des Offices. c. 8. n. 49. 50. 51.*

§. XX.

Vidimus igitur hactenus potissimas ad thesin nostram illustrandam probationes, nunc ad ipsius ampliationes memores ordinis nostri convertimur. Scilicet retentio illa, de qua nobis sermo est, non solum in Actis ipsis, verum etiam in instrumentis causæ & aliis Clientis Documentis (quæ ab Actis distincta sunt per *Bart. in l. in Fraudis. §. neque instrum. n. 5. de Jure Fisci. Breder. in loc. commun. ad Bart. h.*) locum obtinet. Imo in pecunia ab Adversario & ad Clientem spectante hoc remedio sibi consulere potest Advocatus: atque ita Amplifs. Facult. Jen. respondisse testatur *Richterus Consil. 496. n. 1.* ibi. Auch ehe solches von ihnen geschehen / seyd ihr euch auff allen Fall des Juris retentionis an den eingehobenen 200. fl. dißfalls zugebrauchen wohl berechtiget *Mev. ad Jus Lub. l. 3. Tit. 8. art. 15. n. 7. 8. & p. 6. Dec. 238. n. 3. 4. p. 2. dec. 150.* Extenditur etiam hæc retentio ad hæredes, nec injuria, tum quia hæc materia favorabilis, ut supra auditum, tum quod hæres ejusdem potestatis jurisque sit cujus fuerat defunctus juxta *l. 59. 62. ff de Reg. Jur. Conf. Dn. Rivinus En. Jur. Tit. 2. En. 14. in* Responso. Quod enim ibi de Actuario dictum ob identitatem rationis huc quoque referendum putamus.

§. XXI.

§. XXI.

An autem cum fortean contingat, si Advocatus jure suo uti velit, acta vero apud eum casu fortuito sive vi ignis sive aquæ sive furum malitiá pereant, nihilominus salarium suum adhuc a Cliente suo ingrato imo cum interesse moræ postulare queat, non immerito quæritur. Quæstio affirmative decidenda venit, modo retinens debitam adhibeat diligentiam & ipse in mora restituendi non sit. Nam tum de se queri Clientes debent, quod non citius obtulerint honorarium, & damnum sentire non videntur, quod sua culpa sentiunt *l. 203. ff d. R. J.* atque ita decisum a Dn. Scabinis Hallens. in Causa D. Adolph Marckußens contra Hanß Hermann Kotzens Erben am 26. Jul. An. 1633. præjudicio confirmaverunt, quod cum apud paucos legatur, id in sequentibus sistimus: Habt ihr euch vorm Jahre mit Hanß Herrmann Kotzen nunmehro seelig/ in eine Bestallung eingelassen/ und 3. Jahr auffgewartet/ als nun gedachter Hanß Herrmann Kotze verstorben/ haben dessen Kinder Vormündere euch solche Bestallung loßgekündiget/ welche Laße ihr willig angenommen/ weil euch aber an Bestallungs-Geldern 90. Rthl. rückständig verblieben/ habt ihr die Schrifftl. Bestallung/ und die bey euch habende Acta vor völliger Abfindung des Rests von euch zustellen Bedencken getragen. Worüber das Kriegs-Wesen eingefallen/ und bey erfolgten jämmerlichen Excidio der Stadt Magdeburg alle eure Sachen/ und zugleich auch vorberührte Acta in Feuer auffgangen. Ob nun wohl die Kotzischen Vormünder dahero/ daß ihr euch des Juris retentionis gebraucht/ die restirende Bestallungs Gelder abzustatten sich nicht schuldig erachten wollen. Die-

weil aber ehe und zuvor euch die schuldigen 90. Rthl. bezahlet / ihr die Acta von euch zustellen nicht verbunden / sondern befugt gewesen euch des Juris retentionis zugebrauchen/ und dahero nicht ihr / sondern die Vormünder in mora gewesen / und die Acta ohne euer Verursachen im Feuer verdorben/so haben euch die Kotzischen Vormünder solchen Verlust zuzuschreiben keine Ursache/ sondern seynd euch die restirende 90. Rthl. nebenst dem Interesse a tempore moræ ohne Verweigerung abzutragen schuldig V. R. W. *add. Lang. Usag. c. 20. n. 147.* Dn. Hartung *Diss. cit.*

§. XXII.

Iuvat hic istam quoque examinare quæstionem, an in causa communi socius a socio salarium petere & per consequens acta retinere queat. Dubitandum itaque non est, in causa communi socium, qui simul Advocati munere fungitur, a reliquis sociis restitutionem expensarum petere posse, detracta tamen sua quoque rata, si causæ utilitas simul ad eum spectet; si nimirum advocatus in causa propria per modum interesse, & damni (quod in effectu idem est, licet nomine differat ab actione alias instituenda pro honorario) restitutionem expensarum ab adversario petere potest, quidni socio idem beneficium competere asseramus, cum patrocinii præstatio a causa societatis sit separata, nemo quoque gratis laborem administret, cui accedit, quod alii Advocato, majorem vel ad minimum tamen eandem summam solvere debuissent, ut adeo socius merito extraneo in præstatione studii sit præferendus. Atque ita conclusum deprehendimus *a Boërio in Decis. Burdeg. 210.* in causa Dayrerat Advocato causæ pro cohærede Be-

nedicto

nedicto Sylvestro ratione expensarum ob Arrestum impetratum in favorem cohæredum honorarium postulans. *Conf. Gail. Obs. 151. n. 20. & l. 18. ff. Locat. Carpzv. Tit. 24. art. 2.*

§. XXIII.

An autem retentio Actorum ratione expensarum & Honorarii, quæ nondum sunt liquida, sed potius in illiquido adhuc consistunt, procedat, silentio non est prætereundum. Et quanquam non una sit Doctorum sententia, dum alii, inter quos *Berlichius. p. 2. Concl. 32. n. 16.* affirmativam tuentur, alii autem in illiquido retentionem concedant, *Petrus Surdus Consil. 180. n. 15. Menoch. de recuper. possess. Remed. 11. n. 17. Schraderus de Feudis p. 2. sect. 2. n. 30.* modo mox liquidum fieri possit, merito tamen & hisce accedimus, Quotiescunque enim leges de hac retentione loquuntur, nulla fit mentio debiti liquidi, quod vel ex illis legibus, quæ de retentione propter expensas loquuntur aperte apparet, & tantum abest, ut semper expensæ liquidæ sint, quin potius illarum probatio sæpe difficillima sit *Roland. a Valle Consil. 28. n. 31.* Nec ad hoc ut res debitoris a Creditore retineatur, necesse est, ut debitum sit liquidum, quia retentio hæc non perimit debitum seu in totum tollit, sed ejus solutionem tantum urget, unde in solutionis termino liquidatio debiti discutienda, nec sub prætextu illiquidi res avocanda, hinc lege non distingvente, nec nobis est distinguendum *a. l. 8. d. publ. in rem act.* nec obst. *l. 5. ff. de stat. Lib.* utpote quæ in singularem libertatis favorem est recepta neque in consequentiam trahenda *l. 14. ff. de legibus, Consent. Ant. Faber in Cod. l. 3. T. 22. d. 15.*

§. XXIV.

Posteaquam in recensendis ampliationibus occupati fuimus, e re fore existimamus, si ad Regulæ nostræ limitationes brevissimis quoque nos applicemus. Ubi est extra dubium cessare hanc retentionem, si Dominus honorarium in continenti solvit, nam oblata solutione reali, cessat jus retentionis. *Brunnem. ad l. 26. ff de Procurat.* Cessat (2.) in causa propria (quæ est, quando emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. *l. 1. §. 11. ff quando appellandum Böer. Dec. Burd. Dec. 210. n. 2.* 3.) ubi si Adversarius in expensas condemnetur, salarii nomine aliquid exigere non possunt *arg. l. 38. in f. loc. Boer. Dec. 210. n. 3. Diss. Benius de privileg. JCtorum p. 3. c. 73. n. 4.* nisi fortean id petant per modum damni & interesse, si exempli gratia per negotium proprium tempore exclusus Advocatus aliis operam suam præstare non potuerit, & sic damnum ex patrocinio propriæ causæ passus fuerit, cum nemini officium suum debeat esse damnosum *l. 7. ff. Quemadm. Test. ap. Carpz. Proc. Tit. 24. art. 2. n. 16.* Recedit tamen ab hac sententia *Baldus in l. f. C. de fructibus & litis expensis*, & indistincte nihil præstandum esse arbitratur. Hæc retentio non habet locum (3.) si gratis alicui operam suam præstent Advocati, atque tunc non possunt petere sui laboris solatium. *cit. Bald. in l. f. C. de fructibus & litis expensis.* quod ad eos apelicari posse videtur Advocatos, qui publice sunt constituti, & propterea publicam quoque recipiunt remunerationem ex Fisco, qui tamen etiam non prohibentur a Cliente suo paupere, victoriam litis simulque pecuniæ summam reportante aliquid honoris ergo accipere posteaquam ad pingviorem pervenerit fortunam *Matth.*

Col.

Col. de proc. Execut. P. 1. c. 2. n. 121. Gail. l. 1. Obs. 42. n. 11. seqq. Non procedit (4.) retentio Actorum si creditores concurrant *plures Fr. Muller pract. res. forens. Res. 53. Petr. Muller diss. de sav. sal. c. 3. Th. 8.* quia nimirum plures hic concurrunt, inter quos si unus vel alter ob salarium in mora constituatur, non statim coeteris præjudicio esse poterit *a. l. 74. & 155. ff d. R. J.*

§. XXV.

Denegatur communiter (5) retentio in Actis publicis, quæ exhiberi Magistratus, aut Reip. interest, non enim debet noceri alteri jus retentionis & potiorem publicæ utilitatis quam privatæ causam semper esse oportet. *L. 51. §. ult. ff. ad L. Aquil.* cui fundamento inhæsisse non solum videntur Domini Scabini Lipsienses in Responso an Siegfried Andreas Sohn zu Q. M. Ann. 1699. in verb: Welche retention ietzoch anderer Gestalt nicht zu verstehen ist/ als sofferne die Zurückhaltung der Acten dem gemeinen Wesen nicht schädlich fält/ sondern woferne alleine das Præjudicium derer Partheyen/ welche die Gerichts-Gebühr noch nicht abgestattet/ darunter versiret. *Dn. Rivinus Tit. II. En. 14.* sed etiam in eo, quod in causa Joh. Ulmanns zu Döbeln Mense Martio 1622. pronunciaverunt: scil. hat gedachter O. H. P. wegen des eingenommenen Geleits keine gewisse Bestallung mit euch auffgerichtet/ nichts destoweniger aber Verheissung gethan sich gegen euch also zuerzeigen/ daß ihr mit ihm zu frieden seyn sollet; so ist er solcher Versprechung nachzukommen/ und sich nochmahls mit euch zuvergleichen schuldig; Ihr seyd ihm aber die zu oberwehnten Geleits-Sachen gehörige/ und bey euch noch verhan-

Acta vorzuenthalten / und euch des Juris retentionis zu gebrauchen gestalten Sachen nach / weil man derselben wegen des offnen Geleits stetigs benöthiget ist / nicht befugt. V. R. W. *Carpzov. p. 2. C. 15. Def. 23.* Dari tamen facile casus potest, maxime cum non semper intersit judicis, Acta penes se esse, neque publicum interesse propterea damnum patiatur, ubi Acta publica quoque, licet non in privatis ædibus retineantur, tamen in effectu pro retentis habentur, si petam, adversarium non prius admitti a judice, usque dum expensas solverit mihi adjudicatas & moderatas. Tunc Judicis nullum adest interesse publicum, ego autem finem intendo. Allegatum itaque præjudicium loquitur de interesse publico & Principis, quod secus est, ubi duo privati ex causa privata se invicem conveniunt. Ubi Acta tamen judicalia publica nihilominus appellantur, ad differentiam privatorum vulgo der Privat-Acten.

§. XXVI.

Fallit porro Retentio (6) in Palmario, per quod intelligitur præmium seu donum, quod victoriæ causa datur *Hillig. ad Donell. Lib. 18. c. 3. Lit. H. h. h.* Exinde autem diversitas honorarii & Palmarii luculenta redditur; quod si quis Advocato suo legitimum salarium & si vicerit adhuc 100. promiserit, licet in promissione vocabulo palmarii usus non sit, palmarium tamen dicatur *Farin. Pr. Cr. qv. 106. n. 43. seqq. 45.* & e contra si quis pro patrocinio & opera promisit Legitimum palmarium, non palmarium proprie sic dictum erit, sed salarium promissum censebitur. *a. L. fin. C. quæ res pignori oblig. possunt vel non.* Ut adeo recte describatur quod sit donum vel munus, quod Advocatis a Clientibus suis

ſuis victoriæ cauſa, extraordinaria gratitudine & Liberalitate exhibetur. *Laut. Diſſ. de Palm. Advocat. c. 1. Th. V. Diſp. Tub. Vol. 1.* Et ſicuti iſtud palmarium ex ſupra dictis diſtinctum eſt a ſalario & honorario, quippe quod advocatis debetur & præſtatur non victoriæ cauſa & ex liberalitate atque extraordinaria gratitudine, ſed pro opera & patrocinio, in cujus remunerationem & compenſationem ejusdem quaſi merces & pretium etiamſi victoriæ palmam non reportaverint, ſed cauſa ceciderint & ſuccubuerint; Ita quoniam hoc palmarium a libera dependet Clientum voluntate, & in illorum arbitrio eſt, an, finita Lite, & victoria cauſæ impetrata patronis ſuis palmarium dare velint vel non, facile concludi poterit Advocatum ob palmarium non exſolutum retinere Acta vix poſſe, cum Victoria Advocati, proviſum non habeat a lege ſalarium. *Lauterb. l. c. Th. 47. Gail. 1. Obſ. 151. Magenhorſt. in Comment. in Ord. Cam. Imp. p. 3. tit. 50.*

§. XXVII.

Arcentur ſimili ratione (8.) ab hoc noſtro juris remedio, qui nominatim de quota Litis, nomine ſalarii pactum iniverunt. Quale pactum exiſtit, quoties ex ipſa re in litem deducta, ſuſpenſa lite, certam partem & ſocietatem futuri emolumenti ſibi paciscuntur & ſic eventum litis *l. 6. §. ult. ff. mandati.* Qui enim in hoc delicto verſatur legibus prohibito *l. 5. C. de poſt. l. 6. §. 2. C. eod. l. 7. ff Mandati*, certe ex eo conditionem ſuam retentione, quæ favorem continet, meliorem reddere vix poterit juxta *l. 134. §. 1. ff. d. R. I. add. Gothofr. de Salar. c. 7. §. 4.* & ubi nulla vel invalida adeſt petitio, ibi nec retentio eſſe poteſt ab exemplo medici

medici cum ægroto de morbo paciscentis *l. 9. C. d. Profess. & Med.* eadem est ratio si fundorum nomine pasiscantur, his enim occurritur constitutione *l. 1. C. Theod. C. de post. vid. Cujac. Lib. 8. obs. 31. Gothofred. c. 3. §. 3. l. c. & Farinac. d. var. ac div. Crim. q. 106. n. 56. 57. 58.*

§. XXVIII.

Quo vero tempore hæc nostra retentio admittenda videatur, an statim in ortu litis, an ea finita non inutiliter disquiritur? & primo quidem tenor pacti est inspiciendus, quod si non intervenerit, fori consvetudo *a. l. 34. de R. J.* hac non apparente, non nisi finita causa. *Speckh. Cent. 2. Cl. 4. qu. 43. Riccius. Coll. 179. Grat. discept. For. c. 56. n. 1.* Non enim debet peti salarium lite pendente *l. 6. §. 2. C. de postul.* sed demum peractis negotiis. *Plin. Lib. 5. Epist. ult.* post causam actam *l. 1. §. 12. ff de extraod. cognit.* negotio gesto *l. 3. ff de postul. Gothofr. c. 15. c. 2. all. Tr. d. sal.* In contrarium quidem adducunt *Gl. in l. Venditor 13. §. 1. ff Commun. præd. l. un. C. de suffragiis* (de qua supra est actum) *l. 38. §. 1. ff Locati l. Ult. C. de Cond. ob causam datam* rationemque addunt, quod in salario Advocati concurrat legis cooperatio, & sapiat provisionem legalem, ideoque deberi ab initio, quomodo vero abutantur hisce Textibus Adversarii, & qua ratione in rem suam communiter concludant, solide demonstravit Gothofr. in *Tr. d. Sal. §. 2. c. 12. conf. Cavallos Comm. contra Comm. qu. 598.*

§. XXIX.

Ulterius nec (10) retentioni locus est, si ea egestate Litigans laboret, ut non facile pecuniam explicare possit; neque

neque enim eam paupertatis suæ pœnam pati debet; cautione tantum seu repromissione ab eo exacta uti post *Fabrum ad Cod. Tit. 2. de Sport. Lib. 3. def. 2. sentit Gothofr. d. Salar. c. 13. §. 17. in fin.* Neque (II) Acta amplius retineri queunt, si tempus, quod exactioni secundum cujusque regionis statuta positum est, præscribi passi fuerint Advocati. Sic Advocati in Gallia biennii præscriptione repelluntur *Gothofr. de Sal. c. 14. §. 2.* in Occitania quinquennio & in Sabaudia 6. mensibus præterlapsis, nihil petunt *Gothofr. in Not. ad l. cit.* Neque dubium est jure Saxonico si 31. annis sex septimanis & 3. diebus (quo tempore actiones regulariter præscribuntur) suum honorarium non peterent, quin remedio retentionis amplius non fruerentur, cum de se potius queri debeant, quod juri pro se introducto in tempore non invigilaverint *a. l. 24. ff. quæ in fraud. Cred.*

§. XXX.

Explicatis nunc Theseos nostræ limitationibus, in quibus Actorum retentio non concedatur; paucis adhuc perlustrabimus argumenta contradicentium, legesque, quæ in genere obstare asserto nostro videbantur, ubi quidem primo statim intuitu sese offert *l. 4. C. de Commod. l. 5. C. in quibus causis pignus vel hypotheca*, in quibus textibus generaliter exprimitur, ne res pro alia retineatur. Dum vero sensus prioris Regulæ commodati materiam tractat, quod res ipsa commodata pro pecunia debita, Jure Compensationis, retineri nequeat ob rei commodatæ remanens dominium Actoris *l. 8. ff. Comm.* & quoniam res commodata est reddenda in specie, allegata lex de diversa agens materia nostram non infringet sententiam *l. 2. pr. ff.*

 d. reb.

d. reb. cred. vid. *Fincketh. in Obs. 98. n. 41.* Lex vero posterior ad jus retentionis non videtur producenda; Tantum enim ex ea lege colligitur tacitum pignus in non illatis & inventis in prædio rustico non consistere. Non enim pignoris nexu retinetur res, quæ non est obligata. Nec pignoris obligatio contrahitur citra conventionem extra eas caussas, in quibus receptum est, vel aliqua lege aut statuto cautum, ut pignus vel Hypotheca tacite contrahatur. *Finckelth. l. c.*

§. XXXI.

Urgetur posthæc *Tot. Tit. C. ne quis in sua caussa judicet*, nec non *l. 17. ff. de judiciis* ubi iniquum esse dicitur aliquem rei suæ judicem fieri. Imo nec potest quis judicis & partis personam sustinere, cum judicium suis ex partibus integrum non constet, nisi partibus ac judice discretis *arg. l. 13. §. 4. ff. ad Solum Trebell. Consent. Gratian. in Discept. For. T. l. c. 56. n. 14.* quibus tamen Textibus facili responderi potest negotio, Rubrica quippe jam dicta agit de Casu, si quis per sententiam sibi ipsi jus dicat, in retentione autem id solummodo intenditur, ut rei controversæ denegetur omnimoda restitutio, usque dum plenariam satisfactionem consecuti simus, nec e nostra possessione prius dimittatur: atque ita retentio restitutionem rei tantum moratur, non denegat autem restitutionem in perpetuum, maxime cum hæc species executionis privatæ non tantum ex Regula Juris ortum trahat per *l. 25. ff. d. R. J. sed* & retentio in pluribus casibus a legibus expressis & a nobis hinc & inde notatis & jure exceptionis competat tanquam res favorabilis *add. l. 4. C. de Usuris* quæ deinde merito utiliter ad alios casus extenditur *l. 13. ff. d. Legibus.*

§. XXXII.

§. XXXII.

Qui autem materiam retentionis non esse favorabilem sed odiosam, eamque regulariter prohibitam, inter quos est *Medices de Compens. p. 2. qu. 28. n. 5.* asserunt, concludunt hinc, quod eam ob causam non veniat extendenda. Contrarium tamen supra ostendimus *vid l. 2. ff. de Except. l. 125. ff. d. R. J. l. 91. §. 3. in f. ff. de Verb. Oblig. l. 38. ff. d. re jud. l. ult. C. de. rei Vindicat.* neque attendi meretur, quando dicunt, instrumenta causæ non dari Advocato loco pignoris, sed ut videat, examinet, & ex iisdem sese informet *ex l. 8. ff. Mand. Doring. Bibl. lit. V. Adv. n. 601.* quibus tamen salvo nostro retentionis jure regeri potest cum Finckelthusio: hanc scilicet in lege allegata tractari quæstionem: Si Procuratori meo instrumenta causæ dedero ad peragendam litem, ille vero eadem mihi repetenti *absque justa causa* reddere nolit, an mihi ad repetitionem instrumentorum regulariter actio depositi, an vero mandati competat? & respondet ICtus: Procuratorem non ut depositarium, sed tanquam mandatarium conveniendum esse, rationem suppeditat duplicem *Finckelth. Obs. all. 98. n. 44.* (1.) Quia uniuscujusque contractus initium spectandum est, & hoc casu contractus mandati primus fuit. (2.) quia causa inspicienda est tradendorum instrumentorum. Causa autem illa fuit, non ut instrumenta apud Procuratorem deponerentur, aut ab eo custodirentur, sed ut Procurator iis uteretur in executionem mandati *l. 55. ff. Mandati.* Alia igitur est quæstio, si Advocatus Acta ob justam causam retineat, puta, quod ei salarium non exsolvatur. Hæc est exceptio a regula, quæ oritur ex æquitate, & tum actio mandati tamdiu suspenditur per jus retentionis donec

 salari-

ſalarium fuerit perſolutum. Inter diſſentientes præter eos, quos jam notavimus eſt & Groenuegen ad *l. 25. ff. d. Proc. in Libr. de LL. abr*: Gratianus Diſcept. *For. Tom. IV. c. 618. ex l. 46.* ubi extat: Litis impendia. Petrus Molignatus de retentione *Qu. 4. Bart. Socinus R. 243.* aliosque exhibet Schifordeg-Kher. *ab Ant. Fabr. l. 1. Tr. 1. de retent. Qu. V. pr.* qui ſolummodo hoc jus ad expenſas reſtringunt, ubi tn. Dn. Brunnemannus textus generalitaten moresque noſtros aliud ſvadere exiſtimat. *Brunnem. ad l. 25. ff. de Proc.*

§. XXXIII.

Et quanquam occaſione hujus Materiæ affinia quædam, aliæque quæſtiones in medium proferri potuiſſent, quo retentio Judici & Actuario competens pertinuiſſet, de qua videas elegantiſſimum præjudicum apud *Dn. Rivinum En. 14. th. 2. ut & Dn. Melichii diſſert. d. ſportulis. aph. 23.* Item. de Carceris Cuſtode incarceratum pro expenſis retinere volente de qua re vid. *Qvido Papa qu.* 448. memores tamen non immerito fuimus Rubricæ Theſeos noſtræ de Advocati retentione ſolummodo agentis. Dumque hactenus nihil adhuc de ſpeciali Themate hoc propoſitum invenerimus, licet in genere paſſim apud Ictos retentio tribus ſaltem verbis concedatur Advocato, eo majorem merebimur veniam a Lectore humaniſſimo, ſi non omnia ex voto deprehenderit. Sufficiat itaque de hac materia primas duxiſſe lineas, quas in haſce pagellas DEI gratia projectas & abſolutas nunc exhibemus.

ERRATA POTIORA,

§. I. 2. nihi p. nihil, §. 7. l. 2. pr. XI. §. 22. poſtulans pro poſtulante §. 24. dam-num pro da-mnum. apelicari pro applicari.

COROLLA-

COROLLARIA,

VAlide petitur pecunia, quam quis ex ludo debet, quando de iſta pecunia ex poſt facto transactum eſt.

Conductio, licet perpetua, non tamen transfert dominium.

Socius in conductione præfertur extraneo.

In Teſtamento inter liberos abſque teſtibus, ſola patris ſcriptura confecto, ne quidem legata ad pias cauſas ſubſiſtunt.

Clarissimo Ornatissimoque

DN. RESPONDENTI

S. P. D.

PRÆSES.

SI non nativitatis locus studiorumque quasi altera mater, ante decennium, utramque constituissent nobis patriam, aliæ tamen subessent causæ, quæ necessitatem Te amandi injungerent potius quam suaderent: Hæc vero tanquam argumenta laudum exponere singularis pudor Tuus prohibet atque modestia. Agnoscit enim in Te, qui Te novit, Hilligerianam indolem, quæ, cum laudanda facit, laudari non vult, suaviusque in conscientiæ testimonio, quam aliorum, qua non .get, commendatione acquiescit. Non solum itaque amore dignus, quia

quia Parentis illius esses filius, qui propter ejus summam in me benevolentiam, mihi eras amandus, qualiscunque esses, sed quia illa, quæ Tua sunt, quæ nec natalibus nec fortunæ debes animi bona & ornamenta sic me capiebant, ut quibuscunque Parentibus, & quocunque loco lucem hanc aspexisses, non possem Te non amare. Lætor mirifice Te in illo studio, cujus hodie documentum edis, tanta contentione decurrisse, ut semper Tibi viderentur obversari Virorum summorum imagines, quæ Te ad summum invitarent decus quotidiano quasi incitamento. Ab horum vestigiis nunquam avertisti oculos, quos habebas semper intentos, sed ea prosequeris adhuc tanto studio, ut illorum decus videaris aliquando aut

æqua-

æquaturus aut accesſione nova cumulaturus. Gratulor itaque non immerito Prænobiliſſimo Parenti Tuo de tanti ingenii Filio, Tibi, de pulcherrimis procesſibus in divinarum humanarumque rerum ſtudiis, mihi denique cum pateris me Tuarum laudum quoddam quaſi teſtimonium cernere. Et ne prolixitas affectus epiſtolam reddat prolixiorem illud addo. Si reliqueris Lipſienſe hoc Athenæum, abi fauſtis ominibus auguriisque, quo amplioris virtutis ſtudium Te vocat, dignitatumque quibus natus, quibus voto deſtinatus, inſtrumenta Tibi para, Vale.

***) o (***

